

Joachim Schnobel Amelingius Höneman

Disputatio Iuridica De Emptione Et Venditione

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731849655>

Druck Freier  Zugang



Kauf und Verkauf

Verf.
Schnobel-Körmern. 1a
R. U. Jur. 1643.

760

30

DISPUTATIO JURIDICA
DE
EMPTIONE ET
VENDITIONE

Quam

D. N. A. G.

Autoritate & Consensu Am-

plissimæ Facultatis Juridicæ in almâ

Rofarum Academiâ

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi ac Consultissimi

DN. JOACHIMI SCHNOBELII


J. U. D. & Professoris Publici, Præceptoris ac promotoris sui æternum devenerandi

Publicè ventilandam ac placidè examinandam proponit.

AMELINGIUS HÖNEMAN

Osnabrugâ Westph, A & R.

Ad diem 4. Octobr. in Auditorio majori



ROSTOCHII

Typis NICOLAI KILII, Academ. Typogr.

ANNO M. DC. XLIII.

1043

EMITTEBANTUR
CONDITIO

AM
CACHIM
NOBIS



AM
NOBIS

710



D. O. M. A.

THESIS I.



Bligationes omnes descendere aut ex contractu aut ex maleficio, aut proprio quodam jure ex variis causarum figuris testatur. *l. 1. pr. ff. de O. & A. §. 2. Inst. de Obligat. §. 1. Inst. de Action.* Obligationes ex contractu rursus aut re perficiuntur, aut verbis, aut literis, aut consensu *d. §. 2. in fin. Inst. de Oblig.*

II. Contractus solo consensu (undè etiam consensuales dicuntur) seu nudà voluntate & conventionem *l. 1. pr. & §. 1. ff. de rescind. vend. l. 2. §. 1. ff. de O. & A. l. 1. C. quan. lic. ab. empt. reced.* qui perficiuntur, sunt, qui consensu quoquo modo declarato absq; rei traditione contracti firmi atque perfecti sunt *l. 35. §. 5. ff. de contr. empt. l. 2. §. 1. ff. & l. 9. C. eod.* quâ tamen interveniente implentur & consummantur *l. 1. & 2. C. quando lic. ab empt. reced.*

III. Horum autem contractuum recensentur quatuor: Emptio Venditio, Locatio Conductio, Societas, & Mandatum *l. 2. pr. ff. de O. & A. tot. tit. Inst. de Oblig. ex consensu.* De primo autem & præcipuo Emptione Venditione sc. quæ præ cæteris instar gemmæ propter quotidianum usum, exercitium & commercium eminet, nobis in præsentiarum sermo erit.

IV. Ne autem decipulis, & fallaciis ex vocabuli significatione ambigua latebræ quarantur, æquipollentem prius distributionem faciendam esse monuerunt *Aristot. 6. Topic. 1. & 6. Nicol. Everhard. in Top. legal. præambul. n. 24. Arum. demerâ. c. 1. n. 2.* Ideoq; commodè dividi potest Emptio-venditio in eam, quæ est juris gentium, & eam, quæ est juris Civilis, vel, quod idem est, in veram & fictam seu simulatam. *Giphan. ad princ. Inst. b. t.*

V. Hæc est quæ plerumq; fit uno nummo, qui certarum solennitatum gratia intervenire solebat *l. 55. ff. de. Contr. empt. l. 66. in fin. ff. de jure dot. l. 16. de R. l. quam Romani tanquam justissimam*

omnibus ferè solennibus familiarum mutationibus, translationibus, alienationibus, ut, Adoptionibus, *Gajus Inst. lib. 1. A. Gell. lib. 5. noct. Attie c. 19.* Emancipationibus, § 6. *Inst. quib. mod. jus patr. pot. solv. Testamentis, § 1 Inst. de testam. ordin.* adhibere sunt soliti. Quæ Civilis jam diu ante justinianum exolevit. *l. ult. C. de Adopt. d. §. 1. Inst. de test. ord. & tempore Plutarchi* tanquam singularis & ridicula derisa & explosa fuit. *Plutarch. in lib. de tarda DELvindicta.*

VI. Illa (quæ in commerciis humanis nihil frequentius) est contractus *l. 3. C. de Contrah. empt. juris gentium l. 1. §. 2. ff. eod. l. 5. ff. de I. & I. l. 7 §. 1. ff. de pact. nominatus d. l. 7. §. 1. bonæ fidei §. 28. Inst. de Actio. de re emptori tradenda, & pretio in pecuniâ numeratâ venditori dando.*

VII. Principiò autem sciendum, emere veteribus idem fuisse, quod accipere vel sumere, undè & Redemptores, qui opere conducto perfectò mercedem acciperent, teste Festo in verb. *Emere & in verb. redemptores.* Postmodum verò Emptor in commerciis propriè dici cœpit is, qui pecuniam dat ut mercem accipiat undè & factum ejus Emptio dicitur: Venditor is, qui pro pecuniâ mercem tradit, ejusq; factum Venditio appellatur; undè aliud emptionem aliud venditionem esse apparet *ex l. 19. in fin. b. t. l. 1. ff. de rer. permut. non obstante l. 19. ff. de Act. empt. & vend.*

VIII. Tria sunt ex quibus substantia emptionis consistit, sine quibus non magis esse potest quàm homo sine anima & corpore *l. 72. ff. de contr. empt. 1. Consensus contrahentium l. 9. pr. ff. de contr. empt. 2. Res quæ venditur l. 8. ff. eod. 3. pretiù l. 2 §. 1. l. 19 ff. eod. & nisi hæc omnia interveniant, erit contractus imperfectus. l. 1. l. 2. l. 9. l. 37. ff. eod. non quod ad perficiendum eum necesse sit ut eodem tempore & res tradatur & pretium contra numeretur. §. 41. Inst. de rerum. divis. Sed quia consensus, qui hic utriq; debet intercedere, versatur circa rem & pretiam, ut monet *Sutbols. dissert. 15. aph. 3.* Idque propter libertatem commerciorum paulatim introductum est, ut hæc pretij numeratio è vestigio faciendâ non ita exigeretur, sed satis esset de eo cavere, aut fidejussore aut pignore, aut fide solâ interpositâ *d. §. 41. Giph. ad princ. Inst. b. t.**

IX. Consensus itaq; necessariò in hoc contractu requiritur. *l. 2. C. de contr. empt. sine quo consistete nequit l. 9. ff. de consr.*

contr. empt. ubi principio inquirendum est, quanam personæ ad hunc contractum sint aptæ & idoneæ.

X. Et regulariter contractus hic celebrari potest ab omnibus, qui alias obligari possunt, & liberam habent suorum bonorum administrationem. Excluditur ergo furiosus, quippe qui nullum negotiorum contrahere potest *l. 5. de R. I.* nisi tempore dilucidi intervalli *l. 2. C. de contrab. empt.* prodigus, cui bonis interdictum est. *l. 6. ff. de V. O. l. 10. ff. de Curat. furios.* item inter Magistratum & subditum prohibita est Emptio-venditio *l. 46. l. 62. pr. ff. de contr. empt. l. 46. §. 2. de jure fisci. l. unic. §. 2. C. de contr. jud.* inter quos adeo nulla est emptio, ut nec accedente licet post depositam administrationem consensu venditoris confirmetur, nec lapsu etiam quinquennij *d. l. unic. §. 2. vid. l. pen. C. de hiis quæ vi metusve causa gesta sunt.*

XI. Ad mercaturam verò exercendam qui sunt idonei, consensum debent adhibere liberum, perspicuum, verum, nec simulatum *Treut. part. 1. Disp. 28. §. 7.* isq; non tantum in ipso corpore, (si enim in eo erretur, ut si ego me fundum emere putarem Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronianum putasti, quia in corpore dissensus emptio proculdubio nulla est *l. 9. cum. seqq. ff. de contr. empt. l. 83. §. 1. l. 137. §. 1. ff. de V. O.*) verum etiam in rei qualitate ut sit necessè est. Quod tamen distinctionem recipit; Aut enim in nudâ erratur rei qualitate, videlicet si ego me virginem emere putarem cum esset jam mulier; & quoniam in sexu non est erratum, valebit emptio *l. 11. §. 1. ff. de contr. empt.* Aut in qualitate quæ involvit errorem in corpore, ac tunc si in totum erretur in materia, rei quæ venit, non valet venditio, exemplum est in *l. 41. §. 1. ff. h. t.* Sin pro parte, ut si æs pro auro vendatur, est quidem venditio. *l. 14. ff. de contr. empt.* ita tamen ut emptor ex empto consequatur, ne solidum pretium solvere cogatur *l. 17. ff. h. t. l. 21. §. 1. ff. de act. empt.* Idq; ex eâ ratione quia tempore Jctorum separari non potuit ut patet ex *l. 5. §. 1. ff. de R. V.* Hodie verò cum aqua Chrysulæ vi separari possit, non videtur valere. *Bachov. ad Tr. Disp. 28. §. 7. lit. E.*

XII. Porro perficitur hic contractus cum contrahentes purè consentiant nullâ adjectâ die vel conditione, nam sub conditione si res vanierit, pro imperfectâ habetur venditio, donec impleta fuerit conditio *l. 7. pr. ff. h. t.* quâ pendente, vel eâ prorsus deficiente si res perierit extinguitur venditio *l. 8. pr. ff. de peric. & comm. rei vend.*

quemadmodum & stipulationes, legataq; conditionalia non existente conditione perimuntur. Quia ut rei non existentis nequit fieri, ita nec confirmari aut convalescere emptio si res esse desierit. *Wesemb. in π. de peric. & comm. rei vend. n. 4.*

XIII. Hinc emptio-venditio bitariam fit, primò sine scripturâ, cum de pretio rei certæ convenit *pr. Inst. b. 2.* deinde scripturâ, cum actum est ut scripto contrahatur, & tunc non dicetur perfecta emptio, priusquam scriptura fuerit omnibus numeris absoluta. Absolvitur verò per Notarium publicum scripturam redigendo in mundum, vel per ipsos contrahentes, cum instrumentum scribant, scriptove subscribunt, quia paria sunt vel manu propriâ scribere, vel se scripturæ manu alterius scriptæ subscribere *l. 2, §. 15. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.*

XIV. Ante illam absolutionem scripturæ uterq; contrahentium impunè pœnitere & à contractu resilire potest; nisi tamen arrharum nomine aliquid datum sit: Nam eo casu emptor adimplere recusans contractum perdit quod arrhæ loco dedit, venditor autem pœnitens arrhas duplicatas reddere compellitur *pr. Inst. b. 2.* Secus tamen est si arrha non in argumentum aut securitatem daretur, sed ut pars pretij conventi seu in defalcationem pretij ut in *l. 11. §. 6. ff. de act. empt. & vend.* (quam pecuniam haud in eleganter *Varro lib. 5. de ling. Latin.* vocat prærogativam pretij suo tempore solvendi) tunc enim arrha dici nequit sed potius pretium, æq; emptionem utpote perfectam infringet *l. 2. C. quando liceat &c. Wesemb. in π. hic. n. 9. Dissens. Trent. Vol. 1. Disput. 28. §. 8. lit. B.*

XV. Quod verò diximus contractum hunc perfici simulac de pretio convenit, id non obtinet in rebus fungibilibus, quæ pondere, numero, & mensurâ constant. Tales enim res cum venditæ sunt, & quidem ita venditæ, ut in singulas libras, singulos metretas, singulas amphoras, singulos modios, & in singula corpora certum pretium statueretur, cum demum emptio perficitur, cum adnumeratæ, ad mensuræ & appensæ fuerint, quia venditio quasi sub conditione facta censetur *l. 35. §. 5. & seq. ff. de contrah. empt.* ante cujus eventum res quasi nondum venit *l. 1. §. 1. ff. de peric. & comm. rei vend. l. 2. C. eod.* quod tamen obtinet tantum quoad periculum in emptio-

emptorem transferendum, non quidem qualitatis puta acoris aut
mucoris (nam illud post gustationem emptori impendet) sed sub-
stantiæ, ut si vinum pereat, ante admensurationem non emptori
sed venditori pereat *l. 1. l. 4. pr. cum seqq. l. 15. ff. de peric. &*
& comm. & c. quod tamen secus est si aversione emanatur, hoc casu
periculum emptoris est post gustationem *l. 62. §. 2. de contr. empt.*
Ratio ejus est *in l. 1. pr. ff. de peric. & Comm. rei vend.*

XVI. Huc referri potest quæstio illa: An & intra quod tempus
per partes fundi venditi mensura fieri debeat? Et distinguendum est:
aut venditio facta est ad corpus, *über Haupt oder im Pausch*, & hoc
casu mensura nulla opus est; aut facta est ad mensuram *auff ge-
wisse Kubten oder Zoch Aßers* (tunc perfectâ venditione quam-
primum fundum metiendum, aut judicis arbitrio hoc esse com-
mittendum statuimus cum *Bachov. ad Tr. Volum. 1. Diffut. 28. §. 7.
lit. E.* Nisi in Regionis more aliud receptum sit *l. 71. ff. b. r. Diss.
Trent. d. loc. & Gothof. ad l. 40. h. r.*

XVII. Consensu hoc modo adhibito, necesse est contrahen-
tes consentire in talem rem, quæ utiliter vendi possit: Vendi an-
tem regulariter possunt omnes res quas quis habere, vel possidere,
vel persequi potest *l. 34 §. 1. ff. de contrab. empt.* siue sint mobiles si-
ve immobiles, corporales vel incorporales, propriæ vel alienæ exis-
tentes vel futuræ, *l. 8. §. 1. l. 28. ff. eod.*

XVIII. Incorporales res, ut nomina & actiones, vendi posse
certi & indubitati juris est, *tot. tit. ff. & C. de hered. vel act. vend.* etiam
invitis & ignorantibus debitoribus, *l. 3. C. eod.* modò jus actionis
certum sit & liquidum per *l. 22. C. mand.* & ut fiat ante litis conte-
stationem, quia rei litigiosæ venditio nulla est *tot. tit. C. de litig.*
Nam si quis vendit rem litigiosam; si quidem ignoranter id faciat,
tenetur redhibitoriâ, si v. scienter, tenetur ad interesse emptoris,
scilicet nedum ad pretium, sed ad omnia damna ipsi resarcienda
Mynsing. Cent. 1. Observ. 55.

XIX. Nichilò secius fatendum est, res quoq; alienas distrahere
quem posse per *l. 28 ff. de contrab. empt.* quia venditor non neces-
se habet rem emptoris facere *l. 25. §. 1. ff. de contrab. empt.* Sed te-
netur solùm hæcenus, ut rem emptori habere liceat *l. 11. §. 2. l. 30.
§. 1. ff. de act. empt.* Undè constat, hanc venditionem Domino
nullum, præjudicium afferre posse, sed inter ipsos contrahentes
vale

valere, ita ut quamdiu emptori nulla controversia movetur, nec de evictione emptor agere possit, quia hæc est obligatio & præstatio venditoris, rem habere licere non Dominum effici *l. 1. pr. de rev. permut. l. 30. §. 1. de act. empt. l. 25. §. 1. ff. de contr. empt.* Rem vero propriam frustra emit emptor, sive sciens, sive ignorans emerit; Sed si ignorans, quod solvit repetere potest, quia nulla obligatio fuit. *l. 15. §. fin. l. 16. pr. de contr. empt. l. 21. infn. ff. de usurp. & usuc. & quod meum est, amplius meum fieri nequit §. 10. Inst. de legat. §. 14. Inst. de act. l. 14. Spen ff. de except rei judic. l. 159. de R. I.*

XX. Nec interest res jam sit in rerum natura, an verò speretur futura, talis enim emptio in jure nostro permixta est *l. 8 §. 1 ff. de Contrah. empt. l. 12 ff. de Act. empt.* ubi jactus rei emitur, cujus emptio valet etsi nihil capiatur: Nam re verà pisces non emuntur, sed alea & spes *d. l. 8. §. 1.* Ea; venditio propter incertum eventum sustinetur, ita ut de pretio nihil decedat, ut cumq; nihil captum fuerit. *Bachov. ad Tr. d. disput. Thes. 4. lit. D.*

XXI. Illæ autem res quarum nec dominium, nec ufucapiendi conditio in emptorem potest transire inutiliter venduntur, quales sunt res, quæ commercio hominum sunt exemptæ, ut loca sacra, publica & religiosa, item liber homo, *l. hæc legem. 22. cum 2. seqq. l. 51. l. 72. §. 1. & seqq. ff. de contr. empt.*

XXII. Ne quis tamen id aliovorsum trahat, hoc modo subdistinguiere operæ pretium est: Aut enim uterq; & emptor & venditor ignorat rem commercio hominum exemptam esse & valet ejusmodi emptio. *l. 4. cum duab. seqq. de contrah. empt.* non quoad hoc ut emptor consequatur rem venditam, sed quoad obligationem ejus quod interest. Aut venditor scit, emptor autem ignorat, & tunc adhuc emptor ex empto adversus venditorem experietur, ut consequatur quatenus sua interfuit ab illo se non esse deceptum. *l. 62. §. 1. ff. de contrah. empt.* Aut uterq; scit rem extra commercium positam esse & nulla emptio contrahitur. *l. 23. l. 34. §. 2. l. 70. ff. eod.* præter verò nomine si quid dederit illud perdit, suæ enim imprudentiæ imputet quod solverit, cum damnum quod quis suâ culpâ sentit non intelligatur sentire. *l. 203. de R. I.*

XXIII. Hæc de rebus quarum venditio omnimodo non valet: Respectu certarum conditionum & qualitatum prohibentur vendi

res minorum, prodigorum & furiosorum, quæ sine necessitate & decreto iudicis alienari nequeunt. *l. 1. ff. de reb. eor. qui sub. tut. C. l. 2. C. de Curat. furios. & prodig. & rot. sit. C. de præd. minor. item res Ecclesiasticæ. l. 14. C. de SS. Eccles. fundus dotalis princ. insit. quib. alien. lic. quoniam Reipub. interest dotatas esse foeminas l. 1. ff. Solut. matrimon. Sic etiam prohibentur vendi arma hostibus imperij propter publicam utilitatem sub pœna capitis & confiscationis bonorum, *l. 2. C. quæ res ex-pore. non deb. item frumentum exercitui nullum ab alijs emi non potest l. fin. C. quæ res vend. non poss. quin etiam venena vendi prohibitum est, nisi adjectione alterius materiæ fieri possint salubria l. 35. §. 2. ff. de contr. empt. Deniq; domos negotiandi causa ut destruantur vendi interdictum est, ne ruinis deformetur aspectus civitatis. *l. 52. ff. de coner. empt. l. 41. cum seqq. ff. de legat. 1.***

XXIV. Visus in hunc modum rebus circa quas contractus Emptionis venditionis versatur, restat ut de pretio, videlicet tertio substantiali requisito. *princ. & §. 1. inst. h. t. l. 2. §. 1. l. 72. pr. ff. de contr. empt. l. 9. C. eod. paucis videamus.*

XXV. Est autem pretium definiendo Paulo in *l. 1. ff. de contrah. empt.* materia formâ publicâ percussa, emptionis sive æstimationis causa constituta, dictum quasi peritium, ut ait Varro *lib. 4. de lingua latin.* à peritis, quod hisolum facere possunt id si quid datum pro operâ. Græcè *ἕμισ* vulgo *Kauffgelt*/quod tamen æqualitate rei venditæ respondere debet *l. 1. pr. ff. de contrah. empt.* etiam si non exactè, aliquam tamen debet cum merce habere proportionem; Cui consequens est unum nummum, qui dicitur gratiâ intercedit, pretium constituere non posse *l. 10. §. fin. ff. de acquir. possess. l. 46. ff. locat.* Cum simulata pro infectis habeantur teste Dioclet. & Maxim. in *l. 6. C. si cert. per.* Hodie tamen valebit jure donationis siquidem donandi animus affuerit *l. 3. C. de contrah. empt. arg. l. 35. C. de donat. Sutholt. d. diff. aphor. 17.*

XXVI. Qualitatem pretij describit imp. justinian. in *§. 1. & 2. inst. h. t.* primò enim debet esse certum & determinatum, non secus ac ipsa res de quâ convenit: imperfectum alioquin est negotium, cum emere volenti sic venditor dicit; quanti velis, quanti æquum putaveris, quanti æstimaveris habebis emptum *l. 35. §. 1. ff. de contr. empt.*

XXVII. Certum autem pretium est de quo constat quantum sit vel ex ipso nomine *l. 6. ff. de R. C.* cum quantitas ejus numero definita est,

ut, centum aureis venditus sit tibi fundus, vel ex demonstratione quæ nominis vice fungitur, ut si dicam quantum pretij iu arcâ habeo, vel quanti eum emisti, tanti mihi vendes? Hic enim in rei veritate certum est pretium, etiamsi primo intuitu me lateat quantum sit; Nam ex demonstratione certum est *l. 7. § pen. ff. de contrab. empt. arg. l. 37. cum seq. ff. de reb. cred.*

XXVIII. Hinc si pretij æstimatio in arbitrium tertie personæ conferatur, utrum Emptio venditio subsistat quæstionis est? Et magnam exindè dubitationem exortam esse inquit Justinian. *in l. ult. C. de contr. empt.* multis antiquæ prudentiæ cultoribus, an valeat venditio, si quis rem tali modo comparaverit, quanti Titius æstimaverit, cum per relationem pretium dici nequeat definitum. Verum cum requiratur sequens factum & declaratio Titij, non potest contractus purus & perfectus esse. Statuit igitur Justinian. *in d. l. ult.* venditionem sub hæc conditione stare, ut siquidem Titius pretium definierit, omnimodò secundum ejus æstimationem & pretium persolvi, & venditionem ad effectum pervenire debere: quia pretium semper est certum, eiq; tacita hæc inest conditio, si Titius ille pro arbitratu boni viri æstimaverit *l. 1. §. 1. ff. de legat. 2.* Si autem tertius ille casu quopiam impeditus pretium definire non potuerit vel noluerit, pro nihilo est venditio, quasi nullo pretio statuto, nec recurritur ad arbitrium boni viri *d. l. ult. l. 25. pr. ff. locat. l. 76. ff. pro Socio l. 44. ff. de V. O.* quia partibus placuit certam eligere personam à quâ recedere nefas est *l. 43 ff. de V. O.* Secus si iniquè & nimis magno vel parvo pretio rem æstimaverit: Nam tunc recurritur ad arbitrium boni viri *l. 137. §. 2. ff. de V. O.* qui reducet arbitramentum ad æquitatem *l. 24. cum seq. in pr. ff. Locat. l. 76. l. 78 cum 2. seqq. ff. pro Socio. l. 30. de oper. libert. Rittersh. ad §. 1. inst. h. t.*

XXIX. Secundò requiritur ut pretium in pecuniâ numeratâ eaq; proba & legitima constituatur *§. 2. inst. h. t. l. 24. §. 1. ff. de pignorat. act.* Alioqui non erit emptio sed potius contractus quidam innominatus, si ea detur ut species certumve corpus, quod interdum fit ut in pecunia non quantitas sed corpus spectetur, tum etiam pecuniâ interveniente non erit emptio, sed aliud negotium, sive contractus do ut des innominatus. Atq; ita exaudiendum est responsum Celsi *in l. ult. de condict. caus. dat. cau. non secut.* negantis emptionem esse, si tibi dedi pecuniam ut mihi Stichum dares: ibi enim intelligi debet data pecunia non ut numerata

merata sed ut species ut *in l. 7. ff. de praescript. verb. vid. Gisp. ad §. 2. inst. b. s.*

XXX. Satis tamen est si in numeratâ pecuniâ pretium consistat ipsius conventionis tempore: Postea enim ex intervallo, poterit loco pecuniæ conventæ etiam alia res consentienti venditori in solutum dari pro pretio, *l. 9. C. de rescind. vend.* Nam eo casu videtur quasi novus contractus initus, & prior ille contractus Emptionis-venditionis sc. nihilominus perfectus est. Quia in contractibus puris semper initium spectatur non finis.

XXXI. Deniq; tertio ut pretium sit justum necesse est, saltem ut ad minimum respondeat dimidio justæ æstimationis, aliàs hujusmodi conventio jure vindicatur per *l. 2. C. de rescind. vend.* Etsi enim permissum sit in contractu Emptionis sine fraude ac dololâ machinatione se invicem circumvenire. *l. 16. §. 4. ff. de minor. l. 22. §. fin. ff. locat.* cum hæc sit intentio ementis & vendentis quod ille quidē minoris emere, hic vero pluris vendere velit; Diocletianus tamen & Maximianus huic læsioni & circumventioni, ne nimium iniqua sit, certos constituere terminos, quos excedere nulli sit integrum, sed si quis exceßerit, & venditor ultra dimidium justî pretij deceptus sit, in venditoris arbitrio sit, ut vel res empta restituatur, vel suppleatur justum pretium. *d. l. 2.*

XXXII. Quod autem diximus licere contrahentibus se invicem circumvenire, non hanc fovet opinionem, quasi jura nostra fraudem & dolum malum permetterent, quod utiq; negamus, cum hoc è diametro pugnet cum secundo præcepto juris. Verùm cum Pomponius *in l. 16. §. 4. ff. de minor.* ait: Naturaliter licere contrahentibus in pretio emptionis & venditionis se circumvenire, non sumitur circumventio illa pro fraudulentento venditoris consilio, aut machinatione alterius decipiendi causa, quæ si interveniat reddit contractum b. f. nullum *l. 7. pr. ff. de dolo l. 3. inf. pro soc. l. 5. C. de rescind. vend.* Sed de eâ læsione quæ re ipsâ contingit, & incuriâ contrahentis. Alteri non fit injuria, qui suæ stultitiæ imputare debet, quod non minoris contraxit, cum emptor vilius comparandi. venditor carius distrahendi votum gerat, *l. 8. C. de rescind. vend. Mynsing. Cent. 4. Obs. 73.*

XXXIII. Perfectâ in hunc modum emptione duplex oritur effectus. Primus est, quod non sit amplius pœnitentiæ locus: uterq; enim ad implendum contractum obligatur: Emptor ad pretium venditori solvendum *l. ult. de condit. caus. dat. & c. l. 1. pr. de rer. permut.* Venditor contra ad rem emptori tradendam, nõ simpliciter, sed ut transferat ipsâ traditione dominium quod habet.

B a

XXXIV. Alter

XXXIV. Alter effectus est, quod statim atq; contracta est emptio per conventionem pretij rei emptæ licet nondum traditæ periculum ut & commodum ad emptorem pertineat, *l. 5. §. 2. ff. de rescind. vend.* ita ut pretium integrum venditori solvere actione emptio compellatur. Quicquid autem post emptionem contractam sine dolo & culpa venditoris accidit, in eo venditor securus est *§. 3. Inst. h. t. l. 7. & 8. ff. de peric. & comm. rei vend. l. pen. C. eod.* Ratio ejus est; quia emptione perfectâ res aut species apud venditorem esse incipit tanquam obligatum actione personali ad speciei traditionem, dominio jam juris intellectu in emptorem translato: cum itaq; emptor in môra petendi sit, môra ipsi nocere debet *l. 173. §. 2. ff. de R. I. l. 3. in fin. ff. de act. empr.*

XXXV. Hæc tamen regula non est perpetua, sed multas admittit limitationes. Non enim procedit in venditione conditionali. Nam pendente conditione, si tota res perierit, damnum ad venditorem, si verò deterioratur, ad emptorem spectat *l. 8. pr. vers. quod si pendente. ff. de peric. & comm. rei vend. l. penult. C. eod.* Nec in alternativâ; ut equus vel mulus sit tibi emptus, tunc enim interitus prioris ad venditorem, posterioris ad emptorem spectat *l. 34 §. 6. ff. de contr. empr.* Nec in venditione generis, sc. si equus, fundus, arbor vendatur, quippe cum genus perire nequeat. *l. 14. pr. ff. de peric. & comm. rei vend. l. 1 §. 4 ff. de O & A.* Nec obinet prædicta regula, si res vendita publicata sit ob delictum venditoris eo casu periculum est delinquentis *l. 33. ff. locat.* Deniq; fallit, quando venditor speciali pacto omne periculum in se suscepit, donec tradatur *§. 3. vers. sanè enim Inst. h. t.* Ex naturâ enim hujus contractus venditor, etsi non susceperit custodiam, tamen tenetur emptori de custodia, latâ sc. & levi culpâ. Talem enim custodiam præstare tenetur, qualem bonus vir & paterfamilias suis rebus adhibere solet. *l. 35 §. 4 ff. de contrah. empr. l. 3 ff. de peric. & comm. rei vend.* Si verò per pactû in se recepit custodiam tenetur de exactissimâ diligentia & custodia *juxta gloss. & DD. ad §. 3. Inst. h. t.*

XXXVI. Effectu hoc modo considerato restat ut de actionibus ex hoc contractu venientibus paucis videamus. Duplex autem ex hoc contractu oritur actio Empti sc. & Venditi, quarum utraq; est Civilis *l. 33. pr. ff. de adil. edit. bonæ fidei l. 11. §. 1 ff. de act. empr. §. 28. Inst. de action. perpetua l. 31. C. de preser. 30. vel 40. ann. tot. rit. Inst. de perpet. & temp. act. transitoria & directæ: Quia contractus hinc inde æqualis est; utpote qui utriusq; gratia inicitur, ne alterutrius melior sit conditio.*

XXXVII. Actio empu datur emptori adversus venditorem ejusq; heredes

redes, ad rem venditam corporalem cum fructibus & reliquis accessoriis tradendam l. 13. C. de act. empt. Vel si incorporalis sit, ut cedatur juri & præsteretur patientia ad usum liberum, i. e. ut venditor caveat, per se non futurum, quo minus emptor re istâ utatur l. 3. pr. & §. 2. ff. de act. empt.

XXXVIII. Competit autem hæc actio directa nulli alij quam qui contraxit l. 13. §. 25. de act. empt. aut heredibus ejus l. 10. l. 47. ff. eod. & successoribus universalibus l. 2. C. de pact. inter empt. & vend. l. 3. C. de reb. alien non alienand. l. 14. C. de reivind. l. 12. l. 49. ff. de O. & A. adversus venditorem ejusque heredes universales, nõ singulares l. ult. §. fin. ff. contr. empt. ad præstandum id quod inter partes convenit, aut si nihil convenit specialiter inter partes, quicquid naturaliter in est hujus judicij potestati l. 11. ff. de act. empt. Utilis tamen ad distrahendam emptionem, l. 11. §. 6. ff. d. t. & quando procurator ex re vel mandato Domini comparavit, Domino competit, l. 13. §. 25. ff. de act. empt.

XXXIX. Utrum verò venditor rei tradendæ facultatem habens præcisè rem tradere teneatur, an verò præstando interesse liberetur, satis ardua multumq; inter interpretes juris agitata quæstio est. Et utraq; sententia asseclas non postremi nominis habet: Bernhardus Sutholt. d. diff. 15. aph 27. dubius visurum se ait, an sententia hæc, quod venditor præstando interesse liberetur, quæ olim Bulgari fuit, defendi possit ex l. 4. C. de act. empt. l. 11. §. 9. l. 12. ff. eod. l. 17. C. de fide instrum. Nos cum Treut Disp. 28. §. 2. lit. C. Mynsing Centur. 1. Obs 53. & Giphon in suis Antinom. ad inst. Diffus. 28. in fin. Martini sententiam, quod venditor præcisè rem tradere teneatur, nec liberetur præstando interesse, si modo rei tradendæ facultatem habeat, aliter & defendere contra Bulgarum & Johannem ejusq; sectatores conabimur, moti hisce rationibus: Quia ex empto actio datur ad ipsam rem, & ipsa res est in Obligatione, ita ut rectè in actionem deducatur, quod in obligationibus faciendi aliter observatur, ut sc. tanto tempore elapso, quo factum præstari potuit, contractâ morâ inducatur legalis novatio, ut jam non possit amplius agi ad factum, sed tantum ad interesse l. 13. §. 1. ff. de rejudic. Idem innuit Ulpian in l. 11. §. 2. ff. de act. empt. ubi ait: Venditorem oportere tradere rem venditam facit §. 2. Inst. de donat. Quare cum nihil tam congruum sit humanæ fidei, quam ut id quod inter contrahentes actum est custodiatur l. 11. §. 1. ff. de act. empt. l. 23. ff. loeat. concludimus venditorem rem penes se habentem emptori tradere teneri.

XL. Tradere autem hic non est simpliciter emptori fortè dormienti

in manū dare, sed ita tradere, ut emptori sine controversiā rem habere liceat eāq; liberè uti. Quapropter non aliter venditor suā se liberat obligatione, quam si emptori vacuum possessionem i. e. liberam & à nemine detentam tradiderit l. 2. § 1. l. 3. pr. §. 1. & 2. l. 11. §. 13. ff. de act. empt. l. 33. ff. de acquir. poss. l. 8. C. de act. empt. l. 12. C. de probat. Hinc in instrumento emptionis solent regulariter hæc verba inferi: Tradidit & concessit emptori liberam expeditam & non hypothecatam possessionem illius fundi & nunc talē eitradit & concedit *Schneidvv. ad §. actionem 23. Inst. de action.*

XXI. Quo casu ut securus sit emptor tenetur illi venditor de evictione (Germanicè *gewehr/Wehrschafft* / Itali & Galli *Guarendas* appellant) quā experitur adversus venditorem, si non fuit dominus rei vendita, & res legitimè evincatur, ut restituatur pretium cum omnibus damnis l. 6. l. 9. C. de Evict. l. 11. §. fin. ff. de act. empt. Quod ad eodē verum est, ut etiam si nihil de evictione inter contrahentes expressè actum sit, tamen adhuc venditor ex naturā hujus contractus teneatur de evictione d. l. 6. C. de Evict.

XXII. Emptor tamen venditori denunciare debet sibi litem propter rem venditam esse motā, ut veniat ad suscipiendam in se litem & ad defendendum emptorem; quia si hoc non faceret & res evinceretur, jam sibi imputaret, nec haberet regressum ad venditorem l. 8. l. 20. in fin. C. de Evict. l. 1. C. de peric. & somm. rei vend. l. 53. in fin. ff. de Evict. Eo v. mortuo heredibus lis denunciari debet, quia & hi de evictione obligati sunt; nisi venditor emptori per pactum remiserit denunciationem l. 63. pr. ff. de eviction. l. 21. C. eod.

XXIII. Altera, quā tenetur venditor, est Redhibitoria actio, quā agit emptor adversus venditorem in hoc, ut rem vitio latente affectam, aut non talem qualem venditor esse affirmavit, recipiat restitutum pretio. l. 18. pr. l. 44. §. 1. ff. de Edilit. edict. Illa autem dicta promissa ve redhibitionem pariunt, quæ sic dicuntur ut præstentur non ut jactentur commendandæ reigratia l. 19. pr. & §. 3. ff. de Edilit. edict. ut si quis dicat præstabo tibi equum immunem à tali vitio, Germ. *Ich will dir ein gut Pferd liefern daß solchen Schaden nicht hat* / hæc verba præstationem sapiunt, & obligationem, ex quā oritur hæc actio, pariunt, secus si simpliciter dicat: *Es ist ein gut gerad Pferd* / quæ est nuda commendatio, ideoq; nec obligationem inducit nec actionem. Jure tamen Saxonico, venditor equi regulariter tantum de tribus internis vitijs, putā quod non sit retrogradus, *daß es nicht sterig sey*; quod cœcitate latente & invisibili nō

labo-

laborer, das es nicht starb und sey / & quod non sit scabiosus, das es nicht
Haarschlechtig sey. Weichbild. art. 97. Tr. volum. 2. disp. 2. th. 2. lit. F.

XLIV. Ex quo inferitur, si porcus lanionibus venditus sit grandinosus, quod artifices ejus rei notitiam habentes facile deprehendere queunt ex apertione palati & inspectione linguæ, quod si tali oculari inspectione uti noluerint, ut dignoscant num quid vitiosi lateat, est quod sibi imputent, nec audiuntur si porcum postmodum redhibere velint; Cum damnum quod quis suâ culpâ sentit non videatur sentire *l. 203 de R. I. Georg. Schulz in Synops. ad insir. rit. de Empt. & vend. aph. ult. sub lit. C.* Nisi aliud consuetudo loci suadeat quæ magnam vim habet in hâc actione *l. 19 §. 4. ff. de adil. edit.*

XLV. Hanc autem actionem emptor non prius cum effectu intentare potest, quam ex suâ parte contractum impleverit & pretium solverit, aut certè obtulerit, vel aliàs fides fuerit habita de pretio *l. 13. §. 8. ff. de act. empt.* aliàs repellitur exceptione pretij non soluti. Cum enim ab emptore incipiat hic contractus, ab eo primum impleri debet *l. 19. ff. de contrah. empt.* quod adeò verum est ut si unus nummus deficiat, venditor rem venditam loco pignoris, donec integrè de pretio sibi satis fiat, retinere potest *d. l. 13. §. 8. ibiq; Bart ff. de act. empt.* imò si res tradita est ante pretium solutum, non transfertur dominium in emptorem, quin adhuc venditor vindicare possit, nisi habuerit fidem de pretio *§. 41. Inst. de rer. divis. l. 19 ff. de contr. empt.*

XLVI. Actio venditi datur venditori in emptorem ejusq; heredes universales. *l. 2. C. de pact. l. 3. C. de reb. alien. non alienand.* non etiam singulares *l. ult. §. fin. ff. de contrah. empt. l. fin. C. de hered. action.* ad consequenda ea quæ ipsi ab emptore præstari oportet *d. l. 13. §. 19. & seqq. ff. de act. empt.*

XLVII. Non igitur contra tertium emptorem hæc actio competit, quia est actio personalis, quæ personam obligati non egreditur, & sequitur personam obligatam *l. 25. ff. de O. & A.* Pone enim; vendo & trado mercatori quasdam merces nondum soluto pretio, quas alijs revendo. Verum quia mercator incipit fieri obaratus, ego non possum à tertijs possessoribus qui ab emptore meo emerunt, tales merces vindicare. Vindicatio enim præsupponit dominium à parte agentis *l. 23 ff. de rei vind.* At ego per traditionem habitâ fide de pretio transl. in emptorem dominium mercium, undè mihi non datur vindicatio, cùm amplius non sim dominus *l. 12. C. de rei vind.* Nec datur mihi actio personalis contra
secundos

secundos emptores, quia nihil cum eis contraxi: actio enim personalis præsupponit obligationem quæ oritur ex contractu vel quasi § 1. *inst. de Action*. Sed tantum personalis hæc actio mihi datur contra primum emptorem ad pretium numerandum *l. 13. C. de O. & A.*


XLVIII. Agitur autem hæc actio ad pretium prout inter partes convenit solvendum *l. 13. § 19. ff. de act. empt.* Sicut enim principaliter venditor tenetur ad tradendam rem venditam, ita emptor ad dandum pretium. Est tamen inter eos hæc differentia: Quod venditor non tenetur dare, i. e. transferre dominium in ipsum emptorem *l. 30. § 1. ff. de act. empt. l. 25 § 1 ff. de Contr. empt. jason. in § 28. n. 134. Inst. de action.* Emptor tamen cogitur dare pretium, & sic omnino nummos venditoris facere *l. 12. § 2. ff. de act. empt.* Quia venditor tenetur ad speciem, & sic strictè ad ipsam rem venditam, emptor verò ad genus quod perire nequit.


XLIX. Deinde datur hæc actio ad petendas usuras pretii non soluti à tempore rei traditæ *l. 13 § 20. ff. de act. empt. l. 5. C. eod. l. 18 § fin ff. de usur.* aut alioqui à tempore moræ *l. 13. C. eod.* Sicut enim emptor rem emptam cum fructibus petere potest: Ita è contrario venditor potest convenire emptorem, qui percipit interim fructus rei emptæ, ut solvat pretium cum usuris post diem traditionis *d. l. 13. l. 5. l. 13 C. de act. empt. l. fin. ff. de peric. & comm.* cum qui possidet emptor ex ipsa fructuum perceptione commensurare se debeat de pretio solvendo, potissimum quia traditio rei eum constituat in morâ. Antequam autem intentet hæc actionem venditor, necesse est ut adimpleverit contractum à suâ parte, ne obstat ei rei non traditæ exceptio *tot. tit. ff. de except. rei vend.* Cum correlativorum eadem sit natura, & statutum in uno censeatur quoq; statutum in alio *l. fin. C. de Indict. viduis. tollend.*


L. Deniq; quemadmodum emptio mutuo consensu contrahitur, sic voluntate contrariâ re adhuc integrâ dissolvitur *l. 2. l. 3. C. de rescind. vend. l. 1. & seq. C. quand. lic. ab empt. reced. l. 6. in fin. de Contr. empt. l. pen. C. de pact. inter empt. & vend. l. 58. C. de pact.* Nihil enim tam naturale est quam eo genere quodve dissolvere, quo colligatum est.

l. 35. de R. I. Et tantum hæc vice de contractu hoc longè utilissimo proposuisse sufficiat.

SOLI TRINUNI GLORIA.







the scale towards document

starbftnd sey/ & quod non fit scabiosus, das es nicht
Weichbild. art. 97. Tr. volum. 2. disp. 2. th. 2. lit. F.
infertur, si porcus lanionibus venditus sit grandi-
s eius rei notitiam habentes facillè deprehendere
ne palati & inspectione linguæ, quod si tali oculari
uerint, ut dignoscant num quid vitiosi lateat, est
nec audiuntur si porcum postmodum redhibere ve-
quod quis suâ culpâ sentit non videatur sentire l. 203
in Synopf. ad instit. rit. de Empt. & vend. aph. ult.
d. consuetudo loci suadeat quæ magnam vim habet
4. ff. de adil. editi.
tem actionem emptor non prius cum effectu inten-
n ex suâ parte contractum impleverit & pretium sol-
lerit, vel aliàs fides fuerit habita de pretio l. 13. S. 8. ff.
pellitur exceptione pretij non soluti. Cum enim
hic contractus, ab eo primum impleri debet l. 19. ff.
modo ad eò verum est ut si unus nummus deficiat, ven-
loco pignoris, donec integrè de pretio sibi satisfiat,
13. S. 8. ibiq; Bart ff. de act. empt. imò si res tradita est
m, non transfertur dominium in emptorem, quin
licare possit, nisi habuerit fidem de pretio S. 41. Inst.
de contr. empt.
ndici datur venditori in emptorem ejusq; heredes u-
pact. l. 3. C. de reb. alien. non alienand. non etiam sin-
ff. de contrab. empt. l. fin. C. de hered. action. ad con-
si ab emptore præstari oportet d. l. 13. S. 19. & seqq. ff.
itur contra tertium emptorem hæc actio competit,
nalis, quæ personam obligati non egreditur, & sequi-
atam l. 25. ff. de O. & A. Pone enim; vendo & trado
merces nondum soluto pretio, quas alijs revendit.
orincipit fieri obaratus, ego non possum à tertijs
emptore meo emerunt, tales merces vindicare. Vin-
ponit dominium à parte agentis l. 23. ff. de rei vind.
nem habitâ fide de pretio transfl. in emptorem do-
ndè mihi non datur vindicatio, cum amplius non
de rei vind. Nec datur mihi actio personalis contra
secundos